

illius boni quod principia natura non sequitur, & curabilis est: & ideo non est similis ratio de utroque.

Ad quartum dicendum, quod ad hoc Deus creaturam facit ut unaquaque de sua bonitate participet quantum possibile est; meliusque est ut secundum aliquem modum participet quam nullo modo. Dico ergo, quod quamvis illi qui in peccato originali nascuntur, sint obnoxii ut priventur illa participatione divinæ bonitatis quæ beatos efficit in patria; tamen participant, & facultatem participandi habent secundum modum qui possibilis naturæ est secundum suorum principiorum conditionem. Unde patet quod non penitus deficit opus Dei à fine in quem ordinatum est; & præcipue cum veniendi in ulteriorem participationem facultas non tollatur.

Ad quintum dicendum, quod originali culpæ debetur poena secundum hoc quod culpa est; & hoc non habet ex unione animæ ad corpus, sed ex voluntate primi parentis, quod culpa sit: unde quamvis Deus animam corpori uniat, non sequitur quod sit causa illius cuius ultor est.

ARTICULUS III.

Utrum anima sicut æquales in sua creatione.

1. AD tertium sic proceditur. Videtur quod animæ ex sui creatione sint æquales. Differentia enim formalis diversificat speciem. Sed anima est forma corporis. Cum omnes ergo homines unius sint speciei, videtur quod ex parte animæ nulla sit differentia in hominibus.

2. Præterea. Gregorius (a) dicit, quod omnes homines sunt natura pares. Sed dignitas rei præcipue attenditur secundum formam suam. Si ergo unus homo habet animam ex creatione anima alterius nobiliorem, unus homo etiam secundum naturam alii præponeretur: quod est contra auctoritatem inducendam.

3. Præterea. Ut in II. de generat. text. LVII. dicitur, idem semper est natum facere idem: unde oportet quod ab agente uniformi sit effectus uniformis. Sed anima immediate à Deo creatur. Cum ergo in Deo nulla sit diversitas, videtur quod animæ inæquales ex creatione non sint.

4. Si dicatur, quod quamvis non habeant diversitatem ab agente, habent tamen ex materia; contra. Formæ quæ secundum diversitatem materiæ diversificantur, de potentia materiæ educuntur, ut in formis corporalibus patet. Sed anima rationalis non educitur de potentia materiæ: quia, ut in XVI. de animalibus (b) dicitur, intellectus est ab extrinseco. Ergo nec etiam ex diversitate materiæ inæqualitas in animabus esse potest.

5. Præterea. In III. Metaph. text. XI. Philosophus dicit, quod in individuis unius speciei non est prædicatio secundum prius & posterius. Sed in diversis speciebus contingit esse huiusmodi prædicationem, ut scilicet genus de eis secundum prius & posterius prædicetur. Tunc autem præcipue videtur quod species per prius generis prædicationem recipiat, quando nobilior forma, vel differentia naturam generis participat. Ergo in individuis hoc non contingit ut unus homo nobiliorem formam quam alius possideat. Ergo videtur quod nec unus homo ani-

Ex Edit. P. Nicol. (a) Ut cap. x. Lib. XVI. Moral. seriem novam, cap. 111.

mam ex creatione nobiliorem habeat quam alius.

6. Sed contra. In I. de Anima com. LIII. Commentator dicit, quod diversitas materiæ ex diversitate formæ procedit. Sed videmus in hominibus ex parte corporis magnam diversitatem, secundum quam unus alio ad bonum, & malum promptior est, ut patet in diversis hominum complexionibus. Ergo oportet quod eorum animæ ex sua creatione diversitatem habeant.

7. Præterea. Videmus ad sensum, quosdam homines esse melioris intellectus quam alios. Sed bonitas intellectus non potest causari ex parte corporis: quia intellectus à corpore absolutus est, ut in III. de Anima text. XIX. & XX. probatur. Ergo oportet quod hoc contingat ex diversitate quam animæ à sua creatione habent.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod de anima, & Angelo est duplex opinio. Quidam enim dicunt animam, & Angelum ex materia, & forma compositum, vel ex aliquibus duobus, quæ sunt partes essentiae eius: & secundum hoc potest forte aliquis modus inveniri quo assignetur differentia animarum, & Angelorum, ut sint plures in specie una, etiam ex seipsis: quia unitas speciei erit ex principio formali in ipsis; diversitas autem individuorum est ex diversitate materialis principii: & ex hac etiam posset in eis gradus quidam nobilitatis attendi: & hoc videntur verba Magistri sonare, qui dicit, eo modo in animabus esse differentiam quo etiam in Angelis est. Sed quia supra dictum est, secundum aliam opinionem, quia anima, & Angelus naturæ simplices sunt, & non est in eis compositio, nisi ex esse, & quod est; ideo oportet quod quæcumque differentia in eis est ex seipsis, sit differentia formalis, & speciei diversitatem inducens: & propter hoc etiam tactum est, quod in Angelis tot sunt species quot individua: & ideo non est possibile ut diversitas animarum ponatur ad modum illum quo distinguuntur gradus in naturâ angelica, cum omnes animæ rationales unius speciei sint; differunt autem numero solo. Omnis autem talis diversitas ex materia causatur: & ideo cum anima non habeat materiam partem sui, oportet quod diversitas, & distinctio gradus in animabus causetur ex diversitate corporis, ut quanto corpus melius complexionatum fuerit, nobiliorem animam sortiatur; cum omne quod in aliquo recipitur, per modum recipientis sit receptum: & hoc quidem duplici signo patet. Primo ex his quæ diversi generis sunt: quia unumquodque invenitur tanto nobilius genus animæ participare, quanto corpus ejus ad nobilius genus complexionis pertingit, ut in hominibus, brutis, & plantis. Unde etiam in his quæ sunt unius generis, ex hoc contingit diversitas animarum quod est in corporibus diversitas: & hoc etiam patet ex signo boni intellectus: quod Philosophus in II. de Anima text. XCIV. dat intelligere, dicens, eos qui sunt boni tactus, & molles carne, aptos mente esse. Bonitas autem tactus ex æqualitate complexionis contingit: quia oportet ut instrumentum tactus inter contraria tangibilia sit medium: & quanto magis pervenit ad medium, tanto melior erit tactus. Unde patet quod ex diversitate corporis, animarum diversitas resultat.

Ad primum ergo dicendum, quod diversitas formalis est duplex. Quædam quæ est formæ per se, secundum

videre est. (b) Sive Lib. II. de gener. anim. juxta

EXPOSITIO TEXTUS.

cundum id quod ad rationem formæ pertinet; & talis diversitas formæ, diversitatem speciei inducit. Est autem quædam diversitas formæ non per se, sed per acciēns, ex diversitate materiæ resultans, secundum quod in materia melius disposita dignius forma participatur; & talis diversitas speciem non diversificat; & hæc est diversitas animarum.

Ad secundum dicendum, quod Gregorius loquitur de paritate; & imparitate quæ attenditur secundum dominium, & subjectionem; quia unus homo ex natura sua non habet quod dominetur alii. Unde patet quod non est ad propositum.

Ad tertium dicendum, quod quamvis Deus sit agens, in quo nulla est diversitas: tamen quia per voluntatem agit, potest multiformes effectus producere pro libito suæ voluntatis. Sed hoc esse non potest quod aliqua in specie convenientia, in forma habeant diversitatem, quia hæc contradictionem implicat: & ideo oportet quod diversitas quæ est in animabus ejusdem speciei, in diversitate materiæ reducatur.

Ad quartum dicendum, quod quamvis anima rationalis non educatur de potentia materiæ, tamen creatur in materia, ut actus ipsius; & ideo oportet quod in ea per modum materiæ recipiatur.

Ad quintum dicendum, sicut ad primum dicitur, quod anima est actus in actu, & ideo oportet quod in actu esse dicatur; sicut cæcitas in actu esse dicitur, quando aliquis actu cæcus est.

Ad sextum dicendum, quod diversitas materiæ potest accipi dupliciter. Vel diversitas partium speciei, id est partium specie differentium, sive formaliter, ut manus, pes, & huiusmodi; & talis diversitas causatur ex parte formæ: quia ex hoc quod forma est talis, oportet quod corpus sit sibi sic dispositum. Est autem quædam diversitas materialis tantum, quæ ad speciem non pertinet, sed ad individuum tantum; & ista redundat ex materia in formam, & non è converso.

Ad septimum dicendum, quod quamvis intellectus sit absolutus à corpore quantum ad propriam operationem, quæ corporali organo non expletur; tamen conjunctionem habet ad corpus dupliciter, scilicet ex parte essentiae animæ, quæ forma corporis est, & ex parte inferiorum potentialium, ex quibus intellectus recipit; & per istum modum diversitas corporis potest esse peccatum: quia quod naturale est, magnum esse non potest.

DISTINCTIO XXXIII.

An peccata omnium præcedentium patrum parvuli originaliter trahant, ut peccatum Adæ.

Prædictis adjiciendum videtur, an peccata præcedentium patrum ad parvulos transeant, sicut illud primi hominis delictum in omnes carnaliter genitos diximus redundasse: & si peccata parentum transeant in parvulos, utrum omnium qui fuerunt ab Adam usque ad ipsos, an aliquorum, & non omnium. De hoc Augustinus in Enchirid. cap. XLVII, ambigue disserit. Videtur enim approbare peccata parentum præcedentium imputari parvulis, non omnium tamen qui fuerunt ab Adam, ne importabili, & nimia sarcina in pena æterna gravarentur parvuli; sed tantum eorum parentum qui eos à quarta generatione præcesserunt. Quod confirmat illis verbis, quibus in Exodo cap. XX. 5. Dominus ait: „Ego sum Deus visitans iniquitates patrum usque in tertiam, & quartam generationem;“ quasi peccata parentum proximorum tantum parvulis imputentur, & non alia: quod est per moderationem divinæ miserationis. Et quod non illud solum primi hominis delictum parvulos teneat, sed etiam alia, illi quibus ita videtur, ex eo confirmant, quod etiam parvuli, non modo majores, dicuntur baptizari in remissionem peccatorum per pluralem numerum, non per singularem, in remissionem peccati: & David de legitimo matrimonio procreatus dicit Psalm. L. 7. „In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.“ Non dicit, In iniquitate, vel peccato. Unde putant, non tantum illud unum peccatum originale, sed etiam plura quæ in peccato Adæ reperiri possunt, & alia parentum peccata parvulis imputari.



Quod in illo uno primo peccato plura reperiuntur.

Quod vero in actuali peccato Adae plura notari valeant peccata, Augustinus in Enchirid. cap. XLV. insinuat. Possunt, inquit, intelligi peccata plura in una transgressionem Adae, si in sua quasi membrâ dividatur. Nam & superbia est illic, quia homo in sua potius esse quam Dei potestate dilexit; & sacrilegium, quia Deo non credidit; & homicidium, quia se in mortem præcipitavit; & fornicatio spiritalis, quia integritas mentis humanae, serpentina persuasionem corrupta est; & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est; & avaritia, quia plus quam sufficere illi debuit, appetivit; & si quid aliud in hoc uno inveniri potest. Deinde de parentum præcedentium peccatis, utrum parvulis imputentur, magis opinando, quam asserendo disceptat, ita inquit (ibid.), Parentum peccatis parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam ipsorum de quibus nati sunt, non improbabiler dicitur. Illa quippe divina sententia, (Exod. xx. 5.) Reddam peccata patrum in filiis: tenet eos ante regenerationem, usque adeo ut etiam de legitimo matrimonio procreatus dicat Psalm. 7. In iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea. Non dixit, In iniquitate, vel in peccato, cum & hoc recte dici posset, sed iniquitates; & peccata dicere maluit, quia & in illo uno, quod in omnes homines pertransit, atque tam magnum est, ut eo mutaretur in necessitatem mortis humana natura, reperiuntur sicut supra disserui, plura peccata; & alia parentum, quæ non ita possunt mutare naturam, reatu obligant filios, nisi gratia Dei subveniat. Sed de peccatis aliorum parentum quibus ab ipso Adam usque ad patrem suum pro generationibus suis quisque succedit, non immerito disceptari potest, utrum omnium malis actibus, & multiplicatis delictis originalibus, qui nascitur implicetur, ut tanto pejus quanto posterius quisque nascatur; an propterea Deus in tertiam, & quartam generationem de peccatis parentum posteris eorum comminetur, quia iram suam quantum ad progeneratorum culpas non extendit ulterius moderatione miserationis suæ, ne illi quibus regenerationis gratia non confertur, nimia sarcina in ipsa æterna damnatione premerentur, si cogentur ab ipso initio generis humani, omnium præcedentium parentum suorum originaliter peccata contrahere, & pœnas pro eis debitas pendere. An aliquod aliud de re tanta, Scripturis sanctis diligentius perscrutatis, attractatis, valeat, vel non valeat reperiri, temere affirmare non audeo. Ecce perspicuum fit lectori, Augustinum superiora dixisse non asserendo, sed diversorum opinionum referendo.

Ostendit, Augustinum sibi fore contrarium, si id sentiret.

Alioquin sibi ipsi contradicere ostenderetur, qui in eodem Libro cap. xci. omnium mirrissimam dicit esse pœnam parvulorum, qui originali tantum tenentur peccato, his verbis. Mitissima sane pœna eorum erit qui præter peccatum quod originale contraxerunt, nullum insuper addiderunt: & in cæteris qui addiderunt, tanto quisque ibi tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem. Ecce hic aperte dicit, parvulorum pœnam omnium aliarum pœnarum esse levissimam. Quod si est, non igitur peccatis patrum præcedentium obligantur nisi Adæ. Si enim pro peccatis actualibus parentum æternaliter punirentur, & pro suo originali, non jam minus, sed forte magis quam ipsorum parentes punirentur. Non igitur pro peccatis parentum actualibus, nec etiam pro actualibus primæ parentis, sed pro originali, quod à parentibus trahitur, parvuli damnabuntur: pro eo nullam aliam ignis materialis, vel conscientie vermis pœnam sensuri, nisi quod Dei visione carebunt in perpetuum. Uno igitur, & non pluribus peccatis, parvuli obligati sunt. Unde etiam ea quibus illa opinio muniri videtur, scilicet quod peccata, & iniquitates in parvulis aliquando Scriptura esse significat, utens plurali numero, ita determinat Augustinus in eodem Libro cap. XLIV. quia in Scriptura per singularem numerum pluralis numerus sæpe signifi- cari solet, ut ibi Num. XXI. 7. Ora (2) ergo ad Deum, ut auferat à nobis serpentem. Non ait serpentes, quos patiebatur populus. Et è converso per pluralem significatur singularis numerus, ut in Evangelio (Matth. 11. 20.) Mortui sunt enim qui quærebant animam pueri. Non ait, Mortuus est, cum loqueretur de Herode. Et in Exod. XXXI. 31. Fecerunt deos aureos: cum unum ferverint vitulum: de quo dixerunt: Isti sunt dii tui, Israel. Ita & illud originale unum plurali numero significatur, cum dicimus, parvulos in peccatorum remissionem baptizari, & in peccatis, vel iniquitatibus concipi.

An actuale peccatum Adæ sit gravius cæteris.

Hic quæri solet, utrum peccatum transgressionis Adæ, ex quo processit originale, & in quo plura superius notata sunt peccata, gravius fuerit cæteris peccatis. Quibusdam ita esse videtur, quia illud peccatum totam humanam naturam mutavit, sicut Augustinus in Enchir. cap. XLVIII. dicit. Illud unum peccatum in loco, & habitu tantæ felicitatis (3) admissum, tam magnum est ut in uno homine originali- ter, & (ut ita dixerim) radicaliter totum genus humanum damnaretur. Idem de Civit. Dei Lib. IV. cap. XII. Tanto majori iniustitia violatum est illud mandatum, quanto facilius poterat observantia custodiri. Nondum enim (4) ipsi voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis postea secutum est. His aliisque (3) utuntur auctoritatibus qui illud peccatum cæteris aliorum hominum peccatis gravius esse dicunt. Quod etiam ratione ostendere laborant hoc modo. Magis nocuit illud peccatum quam aliquod aliorum: quia totum humanum genus vitavit, ac morti utriusque subdidit: quod nullo alio peccato factum est. Majorem ergo effectum mali habuit illud peccatum quam aliquod aliud.

(1) Vulgata: visitans peccata &c. (2) Ita Septuaginta: Vulgata: Ora ut tollat à vobis serpentes. (3) Al. omisum: (4) Al. deest ipsi. (5) Al. nituntur.

Responsio contra illos, ubi alia peccata ostenduntur illo majora.

Ad quod dici potest, quia licet illud peccatum humanam naturam mutaverit in necessitatem mortis, & in totum genus humanum reatum diffuderit; non est tamen purandum, gravius fuisse peccatum in Spiritum Sanctum, quod neque hic, neque in futuro, ut Veritas ait Matth. XII. dimittitur. Quod vero totam humanam naturam corruptit, non ideo est, quia gravius fuerit cunctis aliis peccatis, sed quia ab homine commissum est, quando in uno homine tota humana natura consistebat; & ideo tota in eo corrupta est. Majoremque effectum mali intulit quantum ad multiplices defectus qui ex eo manaverunt; sed non quantum ad pœnam æternam, quam graviolem non meruit quam plures postea meruerunt per alia peccata; immo alios graviorem promeruisse credimus iram quam Adam meruerit.

An illud peccatum sit primis parentibus dimissum.

Si vero quæritur, an illud peccatum primis dimissum fuerit parentibus; dicimus, eos per penitentiam veniam consecutos. Unde Augustinus in Lib. II. de Baptismo parvulorum cap. xxxiv. Sicut illi primi parentes postea juste vivendo, creduntur per Domini sanguinem ab extremo liberati supplicio, non tamen in illa vita meruerunt ad paradysum revocari; sic & caro peccati, etiam remissis peccatis, si homo in ea juste vixerit, non continuo meretur eam mortem non perpetui quam traxit à propagine peccati.

Quod peccata parentum visitentur in filios, & quod non sunt adversa quæ Deus dicit in Exodo, & in Ezechiele.

Et licet peccatis parentum, nisi Adæ, parvuli non obligentur, non est tamen (6) diffidendum peccata parentum in filios redundare, sicut Dominus in Exodo cap. xx. 5. ad Moysen ait: Ego Deus fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios usque in tertiam, & quartam generationem his qui oderunt me. His verbis aperte insinuat quod Deus reddat peccata patrum super filios, tertios, & quartos. Huic autem videtur adversari quod Dominus in Ezechiele cap. xviii. 2. ait: Quid est quod inter vos parabolam veritatis in proverbium istud, (7) dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt? Vivô ego, dicit Dominus. Si erit vobis ultra parabola hæc (8) in proverbium in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt: ut anima patris, ita & anima filii meæ est: & anima quæ peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii. Justitia justii super eum erit, & impietas impii super eum erit. His verbis videtur Deus corrigere per Prophetam quod male dixerat in lege. Si enim peccata patrum reddidit in tertiam, & quartam generationem, iniustitia videtur esse Dei, ut alius peccet, & alius puniatur. Quomodo enim justum est, alium peccare, & alium peccata (9) legere?

Determinatio præmissarum auctoritatum convenientiam ostendens.

Sed, ut ait Hieronymus in Ezech. cap. viii. ne lex, & Prophetæ, id est Exodus, & Ezechiele, immo ipse Deus, qui & hic & ibi locutus est, in sententiis discrepare videantur: attendamus finem illius auctoritatis Exodi. Dicit enim: Reddam iniquitates patrum in filios: addit: His qui oderunt me: per quod evidenter ostendit, non ideo puniri filios, quia peccaverunt patres; sed quia eissimiles quodam hereditario malo Deum oderunt. Illud ergo quod in Exodo Dominus dicit, sicut Hieronymus tradidit, non id sonat quod multi existimant, nec est simile huic proverbio: Patres comederunt uvam acerbam &c. Illud enim Exodi Hieronymus super Ezechielem, & Augustinus super Psalm. cviii. Deus laudem meam ne tacueris, de filiis peccata patrum imitantibus accipiendum censent: super quos dicitur Deus reddere peccata patrum, quia punit eos, eo quod imitantur peccata patrum, non quia patres peccaverunt. Non itaque corrigat Dominus in Propheta quod ante dixerat in lege; sed quomodo intelligendum sit, aperit. Unde & illos qui præve intelligebant, arguit, qui dicebant: Patres comederunt &c.

Quare dixerit in tertiam, & quartam generationem, & patres tantum commemorat.

Veruntamen si de imitatoribus malorum illud accipitur, quare tertiam, & quartam generationem tantum commemoravit, cum in qualibet generatione rei teneantur qui peccata patrum imitantur? Et quare patres commemoravit, cum & ipsi omnes mali sint qui quorumlibet malorum peccata imitantur? Sed ideo patres specialiter nominavit, quia maxime patres filii imitari solent, quos præcipue diligunt: & tertiam, & quartam generationem ideo commemoravit, quia solent parentes interdum tamdiu vivere, donec filios tertios, & quartos habeant, qui patrum iniquitates videntes, eorum impietatis heredes per imitationem efficiuntur. Secundum hunc modum recte intelligitur ad litteram quod in Exodo dicitur.

Quomodo illud Exodi intelligi debeat secundum mysterium.

Quod etiam mystice intelligendum esse ostenditur, ex eo quod parabola dicitur. Si enim parabola est, ut ait Hieronymus, aliud verbis sonat, aliud sensu continet. Unde aliqui ita edisserunt: Patrem in nobis esse dicunt levem (10) puncturam sensuum, scilicet primum motum suggestionis, vel cogitationis. Filium vero, si cogitatio conceperit peccatum: in quo notatur consensus, & delectatio iniquitatis. Nepotem, In II. Sent. Tom. II. (6) Al. diffidendum. (7) Vulgata addit in terra Israel. (8) Al. in proverbium. Omnes animæ, intermediis omisissis. (9) Al. legere. (10) Al. punctum.



si quod cogitaveris, atque conceperis, opere compleveris, vel complere decreveris: in quo notatur consensus viri, sive patratio peccati. Pronepotem autem, si non solum feceris, sed si in eo glorieris, & hæc est quarta generatio. Non quia tres præcesserint; sed quarta dicitur, quia quarto loco à primo motu, qui est quasi pater, enumeratur. Dens igitur primos, & secundos motus, idest stimulos cogitationum, quos Græci (1) propatheis vocant, sine quibus nullus hominum esse potest, non puniet æternaliter; sed si cogitata quis facere decreverit, & quæ fecerit, corrigere noluerit: quæ sunt mortalia peccata, & tertia, & quarta generatio.

Per quid probetur, quod primus motus non puniatur æternaliter.

Ad probandum vero, ut ait Hieronymus, quod primus pulsus cogitationis non puniatur æternaliter à Deo, illud de Genesi 1x. 25. afferendum est. Cham enim peccavit irridens nuditatem patris; & sententiam non ipse, sed filius ejus Chanaan accepit. „Maledictus Chanaan, servus erit fratrum suorum.“ Quæ enim justitia est ut pater peccaverit, & filius punitus sit? Sed in mysterio illud dictum est.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit de peccato originali quantum ad principium, & quantum ad terminum, ostendens quomodo à parentibus contrahatur, & quomodo per baptismum dimittatur; hic determinat de eo quantum ad numerum, inquirens, utrum originale sit unum, vel multa: & dividitur in duas. In prima requirit, si peccatum originale sit unum, quasi ex uno peccato causatum, & inductum; an multa, quasi ex peccatis omnium præcedentium parentum relictum: & ostendit quod ex peccato primi parentis inducitur tantum. In secunda inquirit si ex peccato proximorum parentum aliqua poena in filios redundet, ibi: Et licet peccatis parentum, nisi Adæ, parvuli non obligantur, non est tamen diffidendum peccata parentum in filios redundare. Prima dividitur in duas. In prima ostendit quod ex solo peccato primi parentis tota posteritas originali inficitur. In secunda inquirit de illo peccato primo, cuiusmodi fuerit, ibi: Hic quæri solet, utrum peccatum Adæ transgressio sit, ex quo processit originale... gravius fuerit cæteris peccatis. Prima dividitur in tres. In prima movet quæstionem; in secunda inducit probationem ad partem falsam, ad ostendendum peccata præcedentium parentum in parvulos transire, ibi: De hoc Augustinus in Enchiridio ambigue disserit. In tertia inducit ad partem veram, ibi: Deinde de parentum præcedentium peccatis, utrum parvulis imputentur, magis opinando quam asserendo disceptat. Quod autem peccatum originale ex pluribus peccatis causetur, & non ex uno tantum primi parentis, tripliciter in secunda parte ostendit. Primo ex auctoritate Exodi xxx. 5. Ego sum Deus visitans iniquitates patrum usque in tertiam, & quartam generationem. Secundo ex hoc quod in Scriptura originale pluraliter significatur, ibi: Et quod non illud solum primi hominis delictum parvulos teneat, sed etiam alia, illi quibus ita videtur, ex eo confirmant quod etiam parvuli... dicuntur baptizari in remissionem peccatorum. Tertio ex multiplicitate peccati ipsius Adæ, ibi: Quod vero in actuali Adæ peccato plura notari valiant peccata, Augustinus in Enchiridio insinuat.

Deinde de parentum præcedentium peccatis, utrum parvulis imputentur, magis opinando quam asserendo disceptat. Hic inducit ea quæ sunt ad contrariam partem: & primo ostendit quod etiam ea quæ prædicta sunt ab Augustino, per modum dubitationis tradita sunt; secundo ostendit quod etiam ejus sententiæ contradiceret, si ita poneretur, ibi: Alioquin sibi contradiceret: ubi etiam solvit ea quæ pro parte alia inducuntur, ibi: Quod si est, non ergo peccatis parentum præcedentium obligantur, nisi Adæ.

(1) Lege propathias. (2) In editis cæteris. (3) Al. in tertia.

AR-

Hic quæri solet, utrum peccatum Adæ... gravius fuerit cæteris peccatis. Hic inquirit, quale fuerit illud Adæ peccatum, quod totam humanam naturam infecit: & dividitur in partes duas. In prima inquirit de gravitate ejus, utrum scilicet cæteris peccatis gravius fuerit. In secunda inquirit de remissione ipsius, utrum scilicet (2) primis parentibus remissum sit, ibi: Si vero quæritur, an illud peccatum fuerit dimissum primis parentibus; dicimus eos per poenitentiam veniam consequutos. Circa primum tria facit. Primo movet quæstionem. Secundo inducit quamdam opinionem, & probationem ejus, ibi: Quibusdam ita esse videtur. (3) Tertio inducit solutionem illius probationis, ibi: Ad quod dici potest.

Et licet peccatis parentum, nisi Adæ, parvuli non obligentur, non est tamen diffidendum peccata parentum in filios redundare. Ostendo quod peccata proximorum parentum in filios non redundant quantum ad infectionem originalis maculæ, hic inquirit utrum in eos redundent aliquo modo quantum ad aliquam poenam: & dividitur in partes duas. In prima movet dubitationem; in secunda determinat eam, ibi: Sed ut ait Hieronymus... attendamus finem illius auctoritatis. Et dividitur in duas: quia primo determinat eam, exponendo auctoritates ad litteram; in secunda exponendo eas mystice, ibi: Quod etiam mystice intelligendum esse ostendit. Circa primum duo facit. Primo ponit auctoritates, & expositionem per quam ad concordiam reducuntur; secundo excludit quamdam objectionem, ibi: Verumtamen si de imitatoribus illud accipitur, quare tertiam, & quartam generationem tantum commemoravit?

Quod etiam mystice intelligendum esse ostendit. Hic determinat dubitationem secundum mysticam positionem: & primo ponit expositionem; secundo inducit probationem ejus quod supponerat, ibi: Ad probandum vero, ut ait Hieronymus, quod primus pulsus cogitationis non puniatur æternaliter à Deo, illud de Genesi afferendum est.

QUÆSTIO I.

HIC est duplex quæstio. Prima de unitate originalis peccati. Secunda de poena ejusdem.

Circa primum quærantur tria. Primo. Si peccata proximorum parentum in filios transeant quantum ad infectionem maculæ originalis.

Secundo. Dato quod non, si eos ad aliquam poenam obligant.

Tertio. Si originale peccatum est unum, vel multa.

ARTICULUS I.

Utrum aliquis contrahat maculam ex parentibus.

In I. P. q. lxxxix. a. 2. & de malo q. xv. a. 9.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod ex proximis parentibus aliquis contrahat maculam originaliter. In successiva enim generatione hominum quanto accipitur generans proximius, tanto efficacius similitudinem suam in genito inducit: unde filii magis assimilantur patribus quam avibus, & proavis, & sic deinceps. Sed transductio originalis fit secundum assimilationem generantis ad genitum: quia in originali natus etiam in originali generat. Ergo magis contrahit naturam originale per peccatum proximi parentis quam per peccatum Adæ.

Præterea. Ex libidine coitus, ut supra dixit Augustinus, relinquitur originale in prole. Sed libido illa est proximi parentis, qualitercumque sumatur. Ergo ex peccatis proximorum parentum proles originaliter inficitur.

Præterea. Omnium convenientium in specie est eadem relatio ad naturam speciei. Sed omnes homines in specie conveniunt. Si ergo Adam per actum proprium naturam humanam corrumpere potuit, videtur quod etiam alii per actualia peccata humanam naturam in seipsis corrumpant. Sed filius accipit naturam humanam à patre. Ergo oportet quod ex peccato actuali proximi parentis sequatur infectio originalis culpæ in prole.

Si dicatur, quod hoc non potest esse: quia ex quo natura humana corrupta est per primum (1) peccatum, ulterius per sequentia non corrumpitur; contra. Primum peccatum non ex toto naturam humanam corrumpit. Sed quod non ex toto corruptum est, adhuc corruptibile remanet, & magis quam primo fuit. Ergo humanam naturam possibile est etiam per sequentia peccata corrumpi; & præcipue cum alia sint æque gravia, vel graviora quam primum fuit.

Si dicatur, quod ideo per actum Adæ natura corrumpi potuit, quia ipse principium naturæ suæ fuit, quod aliis non convenit; contra. Ponatur quod aliquem alium hominem Deus ex limo terræ formaret: constat quod istius Adam principium non esset. Sed illud quod est naturæ principium, habet habitudinem principii ad omnia participantia naturam illam. Ergo videtur quod Adæ non per se conveniat quod sit principium humanæ naturæ, sed per accidens tantum. Illud autem quod est per accidens, non causat variam habitudinem individui ad naturam speciei, in quantum species est. Ergo ex hoc non sequitur quod Adam potuerit inficere naturam humanam, cum & alii possent.

Sed contra. Roman. v. 12. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit: & loquitur de peccato originali, ut supra dixit Augustinus. Ergo tantum ex primo parente traducitur peccatum originale, & non ex peccatis proximorum parentum.

Præterea. Originale ex actu originis causatur. Sed actus originis est uniformis, & unus in tota natura humana. Ergo oportet quod infectio quæ ex eo consequitur, non in diversa principia, sed in unum tantum reducatur.

In II. Sent. Tom. II.

(1) Al. parentem.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, nullus defectus traducitur de necessitate ex parente in prolem; maxime qui ex parte animæ se tenet; nisi qui naturam speciei respicit. Defectum autem ad naturam pertinentem solum primum peccatum induxit: ipsum enim discontinuavit adhesionem hominis ad Deum. Ex hoc autem quod continue homo Deo adhærebat, hæc virtus illi indita erat sub obedientia rationis continue subderentur inferiores vires, & sub obedientia animæ corpus; propter hoc scilicet quod ratio suo superiori continue subdita fuerat. Intercisa autem prima obedientia per hoc quod ratio primi hominis à Deo aversa est per peccatum, consecuta est disturbatio ordinis in inferioribus viribus ad rationem, & corporis ad animam. Sequentia autem peccata non sunt causa hujus intercisionis, scilicet rationis humanæ ad Deum: quia sive alii homines peccarent, sive non, semper hoc remanebat in natura humana quod aliquando ratio hominis à Deo aversa fuerat. Sed ex aliis peccatis relinquuntur defectus, & corruptiones personam respicientes, in quantum qui peccat, efficitur prior ad peccandum: & ideo peccata actualia proximorum parentum nullo modo in filios transeunt.

Ad primum ergo dicendum, quod assimilatio generantis ad genitum, per se loquendo, est in natura speciei: quia generans univocum generat. Sibi simile in specie. Contingit autem quandoque quod etiam in accidentibus individui sit assimilatio filii ad patrem; sed hoc non est nisi in accidentibus corporalibus; ut quod podagricus generet podagricum; non autem in accidentibus animæ: non enim musicus generat musicum, sed rationalis rationale. Peccata autem proximorum parentum nihil in naturam corruptionis inducunt, in quantum natura est: quia natura jam corrupta est, secundum quod corrupti potuit per peccatum primi hominis: & ideo natura cum illa corruptione pervenit ad proximos parentes, & cum illa corruptione naturam traduxit; & ideo dicitur, quod omnis homo generat, in quantum est Adam: & ita patet quod ex solo peccato primi parentis originale contrahitur.

Ad secundum dicendum, quod libido proximi parentis, per quam peccatum originale in prolem inducitur, quocumque modo sumatur, non habet virtutem inficiendi prolem macula culpæ, nisi secundum quod consecutum est ex voluntate inordinata primi parentis: & ideo tota causa infectionis in peccato primi parentis retorquetur.

Ad tertium dicendum, quod in Adam fuit natura integra dotata munere, quod Deus humanæ naturæ gratis contulerat: unde per peccatum ipsius potuit natura corrumpi in ipso, & per consequens in omnibus qui naturam humanam ab eo acciperent: quia genitum accipit naturam à generante qualem generans habet. In aliis autem hominibus invenitur natura jam corrupta: unde illius corruptionis ulterius istud peccatum causa esse non potest; sicut quod semel mortuum est, iterum non occiditur. In quocumque autem homine fuisset inventa humana natura integra, per peccatum ipsius poterat corrumpi in eo, & in his qui ab eo descenderent. Unde patet quod servatur eadem relatio omnium hominum ad naturam communem.

Ss 2

Ad

(1)